



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. Quis transigere possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

2. Prout est rei dubiæ & litis incertæ non gratuita remissio, l. 1. *D. eod.*

Dicitur, rei dubiæ, ut distinguatur à Pacto, quod est de re certa; & quia de re certa & indubitata, v. g. de re iudicata, si appellatum non sit transactio regulariter est nulla, l. *Postrem 11. D. eod. l. Si causa 32. C. eod. l. Eleganter § post rem D. De condit. indebiti*, quamvis res iudicata pacto remitti possit, d. l. *Si causa C. eod.*

Additur, & litis incertæ; quia Transactio propriè accepta non fit de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem susceptam aut suscipiendam, seu quæ timetur, cap. *Constitutus 4. Et alii, h. t. d. l. Eleganter §. post rem Et l. Fratris Cod. eod.* etiam si alias in se sit certa, quia nihilominus dicitur dubia, propter litis eventum incertum, l. *in summa in princ. D. de condit. indebiti.*

Additur denique, non gratuita; quia nullo dato, vel retento, vel promisso, aut remisso, non procedit transactio; in eoque differt à pacto specialiter sumpto. Et ideo super spiritualibus, & iis, quæ spiritualibus annexa sunt v. g. super beneficio Ecclesiastico, vel jure patronatus, non potest fieri transactio, cap. *4. 7. Et cap. Præterea 9. h. t.* si, quod datur, vel remittitur aut promittitur, si quid temporal e, quia id incidit in crimen Simonæ.

§. II.

Quis transigere possit.

1. *Transigere possunt, qui consentire, Et sana mente sunt.*
2. *Quatenus procurator transigere possit.*
3. *Quatenus tutor Et procurator.*
4. *Quatenus Prælati Ecclesia.*

1. **T**ransigere potest, quicumque pacisci, id est, qui consentire, & mente sanæ est, quamvis æger sit corpore, l. *Sanum Cod. eod.* atque ita rectè etiam transigit mutus, surdus: similiter pupillus major infante, ac minor sine tutoris vel curatoris auctoritate, modò rem suam meliorem faciat: quamvis verius sit, locum fore restitutioni, si minor postmodum se læsum tali transactione, etiam juratâ, intra legitima tempora probaverit; præterquam si transegerit super injuriis aut morte patris, & modo ex tali transactione manifestum dedecus minori aut familiæ non inferatur, vide

Treutler. *Select. disput. volum. 1. disput. 7. Thes. ad lit. B.*

2. Nec solum dominus, sed etiam procurator transigere potest, si modò ad transigendum speciale habeat mandatum, vel sit procurator cum administratione libera, c. *Quia ad agendum ver. sic procurator eod. in 6. l. Procurator cui generaliter § 8. D. de procuratoribus*; aut in rem suam datus sit, l. *jur. jurandum § fin cum l. seq. D. de iurejurando*: quia talis alienare potest, ac proinde etiam transigere, d. l. *Procurator cui D. De procurat. alias verò transigere acquirit, etiam si esset omnium bonorum procurator constitutus, l. Mandati generali 60. D. de procurat.* quia talis alienare acquirit, & transigere est alienare, l. *Procurator tutorum 63. D. eod.* licet contrarium nonnulli sentiant.

3. Tutores verò & curatores, quamvis transigere possint, non possunt tamen transigendo donare vel alienare res, alienari prohibitas, l. *4. Cod. De prædiis minorum, l. Nulli Cod. h. t.* Idemque in patre, bona liberorum administrante, obtinere verius est, l. *Pupillorum § si pater D. de rebus eorum*, & c. atque in administratore civitatis, qui similiter transigere possit super jure dubio, tamen transigendo alienare vel donare, seu, quod idem est, rem liquidam sine superioris aut publico omnium, aut majoris partis civium consensu, remittere prohibetur, quia remissio certi juris in donationem incidit, l. *Si quis delegaverit, D. de novat.*

4. Ex eo tamen, quòd transigere sit alienam non potest Prælati Ecclesiæ, v. g. Episcopus, Abbas, & similes, de rebus Ecclesiæ suæ, sine consensu Capituli aut superioris transigere, c. *3. c. Veniens 8. h. t.* etiam si liberam earum habeat administrationem, c. *Cum nobis in fine sup. de elect.* quia Prælati habet liberam potestatem reidumtaxat benè gerendæ, non autem perdendæ vel dissipandæ, c. *Episcopus x. q. 2.* Et ideo ubi agitur de re, in perpetuum præjudicium Ecclesiæ vergente, præter consensum Capituli, requiritur consensus superioris c. *cetero 5. Et d. c. Veniens h. t.* In sui tamen solius præjudicium transigere potest, ut scilicet transactio valeat, quamdiu Ecclesiam restitutus est, non ulterius, d. c. *De cetero.*